


05

A

1683





Q. D. B. V.

EX

PNEVMATICIS

De

VITA DEI,

PRÆSIDE

M. ANDREA GERET,

Ampliss. Ordinis Philos. Adjuncto,

Disputabit

RESPONDENS

ELIAS HÄNLEIN, Onoldô-Francus.

In Auditorio Majori,

D XVI. M. Maji, A. C. 1677.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

V I R O

SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO
atq; EXCELLENTISSIMO,

DN. GODOFREDO
HÄNDELIO,

SS. Theologiæ Doctorando meritissimo,
Consiliario in INFERIORI PRIN-
CIPATU BURGGRAVIATUS NORICI
Ecclesiastico Primario, & Superattendenti Generali
Gravissimo, SERENISSIMÆ AULÆ ONOLDO-
BRANDENBURGICÆ à Concionibus & Confessionibus
Æstimatissimo, adq; D. Gumberti Eccle-
siastæ Vigilantissimo,

DOMINO & PATRONO suo PROMO-
TORIq; ætatem submissè devenerando,



observantia ac pietatis ergo

D. D. D.

RESPONDENS.

05 A 1683



ADJUVANTE GÖELE!

§. 1.



Xpedita satis inter Philosophos res est, & esse Deum, & vivere. Nec etiam, qui vel homines sunt, negabunt idem, nisi Divina eos Nemesis sensu prorsus omnium exui permittat. Utenim *nec ulla gens, loquente Cicerone Epist. 1. 7. usq; est adeo extra leges moresq; rejecta, ut non aliquos Deos credat: Ita, ut Svarcz Tom. post. Met: disp. 30. sect. 14. n. 3 p. 108. judicat, rursus, quod Deus sit substantia vivens non solum evidens, sed etiam per se notum videtur, si semel Deum esse in rerum natura admittamus. Nam incredibilius est, aliquid inanime, tanquam lignum vel lapidem esse Deum, quam nullum esse Deum. Unde etiam de ignorantissimis gentilibus, qui ligna & lapides, tanquam Deos adorabant, ait D. Augustinus, concione 2. in Psalm 113. eos non putasse esse sine aliquo vivo habitatore. Quid? quod gentes supremum Numen suum *Ēnva* vocârint, in vulgus notum est: sive deinceps, ut Philosophus L. de mundo tradit, voce eâ significare velint, per quem vivimus, sive, ceu Lactantius l. 1. c. 11. refert, quod primus juxta fabulas eorum ex Saturni liberis vixerit. Ast hæc obiter. Plura paulo infra, cum demonstrabimus attributum hoc de Deo, disputabuntur.*

§ 2. Sed quemadmodum alias vitam quidem omnes in se habent, distinctè cognoscunt pauci: imò & actus ejus sentitur melius, quam explicatur natura: non aliter res in Deo evenit. Admiran-

A 2

tur

tur universi vitam ejus, ne singuli verò perscrutantur. Causa in promptu extat. Quibusdam videtur non modò haud difficilis labor hic, sed in quo etiam satis alii desudârint. Aliis contra impar humeris opus apparet, & quo finita hominis mens, infiniti incapax, pertingere nequaquam poterit. Nos media incedemus via, & quid ingenii vires permittant, tentabimus, si non exquisite singula, quædam tamen, quantum per temporis brevitatẽ licuerit, diligentius inquisituri. Deus vitam, & intellectum conantibus; errantibus veniam atq; gratiam B. L. commodabit.

§. 3. Nolumus verò, ut solent communiter, agglomerare distinctiones nunc, aut, quot vita modis usurpetur, ex Autorum libris in chartas hastrajicere. Neq; juvabit multum nos, hac quidem in re; notitia ea, neq; oberit instituto, licet ignoraveris. Ne quis modo nos accuset, quod Andabatarum more pugnantes, definiamus nihil, impugnemus omnia, quædam annotasse sufficiet. Non accipitur h. l. *vita pro naturali*, quam in unione animæ cum corpore consistere docent ex antiquioribus recentioribusq; plurimi: negat cum neotericis non paucis *Martinus Kergerus* in suo *de fermentat. L. sect. 1. c. 4. p. 16. seqq.* Non litem hanc in præsens nostram faciemus, quippe Physicorum scholas dirimere eam oportet. Id saltem fateor, nec sine pondere dixisse multa Viram hunc, & scitu digna jucundaq; lectu esse, quæ ibi copiose habentur. Multo minus attendi solet *moralis*, quæ ad analogiam vitæ physicæ in unione rerum moralium, conversationis; honoris, famæ; &c. aut felicitate civili ponitur. Hoc sensu, *non esse veram vitam, ubi non feliciter vivitur*, ait *Augustinus Enchiridio ad Laurentium*. Omnium minimè cum Theologis *vitam*, ut vocant, vel *peccati*, vel *gratiæ*, vel *gloriæ* exponemus. Præterquam, quod in ordine ad hominem potissimum significationes recensitæ hactenus dicantur, nobis contra de vita DEI agere, animo sedeat, *primã* duntaxat corporibus propria, & partim *vegetans*, partim *sentiens*, partim *rationalis* est: *altera*, qualitatem modò aut conditionem certam vitæ importat: *ultima* prorsus metaphoricè ita vocatur.

§. 4. Remotis igitur, quæ a scopo alienæ sunt, vocis usurpationibus, sel gitur ea operæ nostræ, quæ a subiecto, cui inest, *Spiritualis*; à sede disciplinari, in qua tractari debet, *meta*
physi

physisca, (quamvis malè, & rectius *pneumatica*) consuevit nomi-
nari. Audit & *intentionalis*. Atq; tunc accipitur vox illa nec
objectivè, quasi vita DEI rationis ens foret, haberetq; entitatem
realem nullam: quasi fingeretur tantùm vivere Vivacissimum Nu-
men: nec *representativè* etiam, ac si representaret tantùm lumi-
nis instar atq; speculi aliorum vitas, qui omnibus vitam conce-
dit: Sed *constitutivè*, & in ordine ad cognoscendi intelligendiq; a-
ctus, quos importat: Hivèluti non raro intentionales vocantur:
Ita in his consistere spiritualis vita ab omnibus concipitur.

§. 5. Adhæc quia in *prædicamentalem* vita spiritualis distin-
gui potest ac *transcendentalem*, posterior unicè sedi huic debetur.
Afferimus hæc non sine ratione. Nam quamvis nos non lateat,
communem eam distinctionem esse, de justa tamen applicatione
illius, est, quòd dubitamus. Arbitrantur cum spirituali transcen-
dentalem; prædicamentalem cum corporea sive physica retro-
currere. Verum enim verò aliter se habere veritatem, palam
ostendemus. Largimur, vitam Spiritus ut sic præscindere à
transcendentali prædicamentaliq; Damus, si pro potiori analogato,
& juxta ejus indolem capi oporteat, eandem eatenus rectè dici
transcendentalem: Ast, quòd in descensu postmodùm ad inferiora
sua, ac in particulari idem valeat, omnino inficiamur. Manife-
stabitur veritas, si ex concessis dicta explicuerimus. Assumemus
vitam Angeli, qui spiritus ob immaterialem suam essentiam, & in-
simul finita atq; completa substantia est. Poni hunc in prædica-
mentis, evincunt insuper usitatae hactenus hypotheses, quarum
vi omnia

Entia per sese, finita, realia tota,
classibus his coarctantur. Idem postea de attributis ejus
statui decet, dummodò accidentia realiter a subjecto distincta
fuerint. Subscribent omnibus postulatis, quotquot vulgarem
Aristotelis divisionem in negotio hoc factam rectam defendunt.
Proinde seu actum primum vitæ in Angelo respexeris, seu intelle-
xeris actum secundum, semper collocari eam in prædicamenti
serie, quis ibit inficias? de qualitate divisionis actuum informa-
bit nos subsequens thesis, nunc assertioni nostræ fidem concilia-
bimus.

bimus. Vitam Angeli in actu primo dicunt vel ipsam substantiam rei viventis, vel qualitatem quandam, potentiam, facultatem aut actus vitales, tam ab ipso actu secundo, quam a subjecto suo realiter distinctos? Itaque vel ad substantiam, vel ad qualitatis predicamentum reducitur: In actu secundo faciunt operationes vitales, & actualitatem ipsam: Ergo sub actionis vicissim summo genere continebitur. Atque sic elucescit, vitam Angeli in predicamentis, & consequenter nec omnem vitam spiritualem transcendentalem, nec solam naturalem predicamentalem esse: Quod erat demonstrandum.

§. 6. Majoris momenti distinctionem aestimamus, qua *vita actus* alius *primus*, *secundus* alius constituitur. Dissentiunt in explicanda ea Scriptores, in eo nihilominus convenientes, cum vita vel *physica* sit, vel *intentionalis*, diversimode actuum quoque horum discrimen exponendum fore. Nos ibimus per hypotheses, quodque actus neuter in DEUM cadat, evincemus. Non autem, quid actus vitæ physicae primus importet, quid secundus, sollicitè à nobis investigetur. Semel ad vitam DEI, ad vitam Spiritus, & consequenter intentionalem, negotium limitatum omne est. Loquuntur variè hic. Alii in creaturis actum primum ajunt esse viventis essentiam in abstracto: secundum ipsam operationem, prout eam vivens habet à se, seu a principio intrinseco movente: Ita *Suarez l.c. p. 109. n. 6. Paulus Vöet Theol. natur. reform. c. 12. §. 1. n. 1. p. 284. Slevogtus disputat: Academ. theor. 14. n. 9. p. 281. &c.* Nonnullis è contrario placet, quòd actus primus sit potentia, sit qualitas quaedam: secundus ipsa illarum vitalis operatio. Docentia *Klozius Dissut. 12. id pnevm. thes. 6. p. 649. Heereboord. pnevmat. L. 2. c. 9. p. 153. &c.* Ex nostratibus fere omnes. Sed concordant quàm hoc singuli, ab actu primo, ut principio operativo, secundum, tanquam operationem ipsam distingui realiter, produciq; hunc ab illo per veram quandam efficientiam. Nam quod *Grebenizius Dissut. 1. de vita DEI in genere sect. 2. exposit: §. 13.* docet, ne in creaturis quidem semper duos actus hos realiter distingui, in eo & deseritur a reliquis, & assertioni suæ fundamentum nullum substernit. Non ita hæc se habent à parte DEI. Abeant, quæ de primo distinctionis membro disputantur. Sufficiet, non reperiri vel

vel distinctionem utriusq; actus realem, vel veram unius ab altero productionem. Sunt per summam simplicitatem, actualitatem purissimam, independentiam absolutam ac infinitam perfectione idem in Deo essentia, vita, intellectus, intellectio, voluntas, volitio. Atqui si ponas duplices actus ejusmodi, uno hoc dato absurdò, quot, fides, sequentur? Consurget compositio realis ex potentia (receptivâ) & actu, quia actus primus operationem a se productam in se produceret: implicabitur potentia passiva, quæ perficietur ulterius, cum tamen sola essentia divina omnes perfectiones in sese jam perfectissimè supponat. Dabitur in eodem aliquid in suo esse ab alio seu dependens ac productum: Taceo alia & incongrua & impia, quorum rei sunt Adversatores, vid. Klozius l. c. thes. 6. seqq. Magnificus D. D. Calovius T. 2. system. Theol. p. 485. 437. &c.

§. 7. Neq; est fortassis, quod quis objiciat, pugnare nos cum larvis & fingere hostem in media pace: asseri solùm analogiam quandam, ampliatis justè terminis: Ideo intelligi per actum primum possibilitatem quandam ejusdem operationis per intellectum & conceptum nostrum præcisam ab actuali existentia; per secundum non actuale exercitium principii realiter producentis, sed qui est ultima perfectio actualiter existens: atq; id ipsum esse, quod dicant, ut, quasi actum primum & secundum, sive ad modum actus primi & secundi vitam DEI concipi. Verùm quorsum proderit ea terminorum renovatio, & quæ fingendi novae ejusmodi formalitates necessitas? Erit hæc ratio quæcunq; possibilitas Logica, quæcunq; non repugnantia actus primus, sicq; in creaturis semper duo aut tres ad minimum dabuntur actus primi in ordine ad secundum unum: nam perpetuo præter potentiam Logicam & physicam aderit: annihilabitur dependentiæ respectus, tolletur ordo realis, qui inter actus duos hos intercedit, & impedietur magis, quam juvari putant cognitionem. Quo enim simplicior ea, eò facilior, & ubi non urget ipsa res, non deferenda communis sententiæ. Insuper analogia illa aut erit intrinsecæ attributionis, aut extrinsecæ: Si ea, non negabit veritatem rei, sed veram adhuc potentiam, verum accidens DEO adpropriabit: Sit hæc: quid improprietas? quid homonymiis opus est? Non dicamus; quod actus primus secundusq; perfectio non simpliciter, sed

sed secundum quid sit, includendō imperfectionem *Suarez l. c. n. 7.*
Præsertim verò miramur, amplecti & eos ampliacionem hanc,
quibus alias vel latum unguem ab Aristotele recedere, religio est.
Potius eorum effata laudamus, qui *vitam DEI* quidem *per actum*,
sed neq; per primum, neq; per secundum, neq; per præcisum ab
utroq; sed per *absolutum* interpretantur. Scilicet *actus absolutus*,
& quidem simpliciter talis, appellatur actus purus, in quo nulla
concipi potest ratio potentialitatis. Interim si libuerit alicui,
extendere quocunq; modò notiones philosophicas ipsi per nos licu-
erit: Sciat autem fieri incongrue. Nam videntur quædam (in-
ter quas præsentis referri possunt) de formali etiam involvere im-
perfectionem, ut, si novas illis formalitates fabricari audeas, non
tam dilatatio, quam immutatio effabricatioq; nova prorsus ori-
atur. Rem exemplum simile d lucidabit. Ut in Deo genus pro-
prie sic dictum esse, negant Sap entiores, concedunt conceptum
contrahibilem, eò, quod generis natura in ratione sua præcisa
non patiatur: ita ob argumentum simile possibilitatem Logicam
Deo, non verò actum primum vitæ attribuimus.

§. 8. Pergimus ad eas voces, quæ, ut docent, synonymi-
ce cum vita convertantur. Ubi generatim notamus, vix, quæ
circumferuntur, nomina accuratius perpensa prorsus æquipollere,
sed vel patere latius, vel significare strictius, vel diversum plane
conceptum involvere. *Augustino l. 6. de Trinit. c. 10. Did. Ruiz*
de scientia Dei Disputat. 93. sect. 1. n. 13. vocatur *Intellectus*, Item
Intellectio: Quæ voces nec potentiam ab essentia, nec operationem
a potentia realiter distinctam connotant: sed explicari duntaxat
debent sive per essentiam ad modum potentæ intellectivæ con-
ceptam, vel per cognitionem actualem, quæ Deus se ipsum & o-
mnia extra se perfectissime modo cognoscit: hoc enim Dei intel-
ligere, & hoc intelligere Dei vivere esse docent *Scholastici*. Neq;
verò, ut alii admonent, *exclusivè* capitur tunc *intellectio*, quat.
voluntati volitioniq; contradistingitur: sed *inclusivè*, quat: ean-
dem complecti solet, quo sensu differre in brutis homines per in-
tellectionem dicuntur: nam non tò intelligere modò, sed tò velle
etiam inter vitales DEI spiritusq; actus referuntur. Aliis nuncupa-
tur *operatio*, (voce nimis lata) inde *philosophus l. 2. de celo,*
l. 17. DE operatio, ait, *immortalis est, hoc autem est vita sempi-*

ter-

na, itaque necesse est motum sempiternum DEO inesse. Explicat dicta Ruiz. l. c. Summa & ultima perfectio, in qua consistit beatitudo DEI & felicissima vita est actus intelligendi & amandi seipsum; vocatur operatio sive ultimus actus, quoniam hæc nomina communiter à Philosophis & Theologis usurpantur magis abstracte, significando solummodo tendentiam in objectum, quâ ratione pugnat immediate cum otio vel somno, vel carentia vitæ perfectæ seu vitalis tendentia in objectum, quæ est ultima perfectio viventis. Atque hæc causa est, quod Dionysius de divinis nominibus c. 6. vitam DEI nuncupavit quoddam nihil requirens. At non modò & hæc perfectio commune omnibus attributis divinis prædicatum est, sed certum insuper vitæ divinæ statum magis, quam ipsam vitam dicit, ac consequenter à conceptu vitæ omninò differt adhuc formaliter. Est perfectio ea, nihil requirens, ipsa beatitudo Dei, (quam Heereboord & alii distinctum attributum faciunt) quæ is citra ullam miseriam in omnium bonorum affluentia cum jucundissimò illius sensu vivit. Non nemo in Collegio Pneumatico M SS. c. 4. thes. 1. appellat, vitam Dei immortalitatem, autumans, non aliter, quam ut negativum & positivum, nomina hæc discriminari. Nobis vero conceptibiliter omnino distingvi à vita immortalitas videtur: Quippe aliud est vivere, aliud ita vivere, ut nullo prorsus modò, per principium neque externum neque internum, cessare vivens ab actu vitæ possit. Et quamvis in Deo idem essentialiter, ac quæ rem esse, concedamus libenter, nolumus tamen esse formaliter, & quæ modum concipiendi identificata. Hæc de vitæ synonymis ex mente aliorum. Nobis haut incongruè salutatur Vitalitas, quia vox ea actuosissimam infert potentiam, quâ Spiritus & de facto operatur ad intra, & ad extra, quando vult, potest operari.

§. 9. Hæcque de nomine attulisse sat esto. Non parum tamen & operam nostram illustrant, & ut scitu necessaria non poterunt non præsupponi. Nunc parandus ad ipsam rem accessus est, quò vita divina, quoad fieri potuerit, reveletur. Initio statim, an in Deo vita sit, disquirendum. Nam ut ut facile negaverit nemo, debet nihominus attributum de subjecto suo demonstrari. Et est Pneumatica scientia quædam (an secundariò talis, non dixerò) quæ suam ἀπόδειξιν habet, licet ad eum rigorem non accedat, ut reali-

ter à subjecto suo distinctis gaudeat proprietatibus. *Scholastici*, ut de Deo aliquid adstruant, Sacras ubique literas in subsidium trahunt. Quos si in presenti sequi velimus, infinita absque labore testimonia adduci possent. Sed mittimus morem hunc meritò. Qui philosophicè disputant, illis extra limites suos, quos naturæ lumen præfixit, nunquam transiliendum. Suntque evidentissimæ rationes, quæ idem eximiò robore confirmant. Duplex autem *Demonstratio* vulgo circumfertur, à priori alia, alia à posteriori: Ultraque locum habet, dummodo sciamus, duo nunc probanda fore, unum, quod vita intentionalis Deo competat: alterum, quòd perfectissimo modo & citra omnem actus primi & secundi distinctionem conveniat.

§. 10. Et quod prius attinet, nimirum vivere Deum, apud omnes saniores in confesso est, Deum Spiritum esse. Sed vivit intentionalem vitam Spiritus: Sic immaterialis ejus essentia postulat, quæ uti materialis conditionis expers omnis est, ita proprietates ac operationes sibi naturaliter proportionatas, easque præstantiores tantò, quòd excellentior corpore fuerit, id est, non nisi immateriales atque inorganicas habebit. Deinde deduci idem ex absolutissima Dei perfectione poterit. Est perfectissima omnium substantia Deus, quippe qui non modo reliqua entia omnia longe superat, sed omnium quoque perfectiones & excellentias perfectissimè possidet. Adhæc perfectissimum substantiarum gradum gradus viventium complet: quidni ergo vitam Deus habebit? quid carebit eo, quo & prima substantia & omnium rerum causa perficitur? Quid denique virtute destituetur, cujus negatio imperfectionem, & oppositum, non vivens, Entis ignobilitatem importat? Arctius stringet argumentum hoc, si adjeceris, quòd perfectio simpliciter simplex sive formalis sit Vita, hoc est, quæ in quolibet ente, ut ens est (præcise, non autem tale vel tale) melior est ipsa, quam non ipsa non ipsa nec infinite sumpta, nec contradictorie, sed contrarie.) Hòc enim præsupposito, vel natura te informabit, dari eam in ente illo, quod in perfectissimo essendi gradu tale existit. Quid? quod immortalis Deus sit, nec ullo cessare modo à vita queat, immutabilitas ejus requirit, quod verò consequenter vivus sit, ex eo, quod non moriatur, colligitur. Tandem ex effectu cognosci-

gnoscutur causa. Ens independens Deus est, & causa omnium prima: Habent ab eo reliqua omnia, quod sint, quod vivant, quod moveantur, quod operentur. Quidni igitur iisdem polleat perfectionibus? Nihil prius est in effectu, quam vel formaliter vel eminenter præexistat in causa.

§. II. Porro, quod perfectissimo modo vivat, immunis ab omni actus distinctione, infinitas partim, partim absolutissima simplicitas declarant. Quod infinitæ perfectionis in essendo est, erit etiam infinitæ perfectionis & in possidendo attributa, & in operando, quia essentialiter proprietates operationesque sequuntur. Insuper multæ imperfectionis nomen compositio est, & summa ac simplicissima simplicitas, qualis Deo competit, non admittet aliquid à subjecto distinctum.

§. 12. Restat, ut inquiramus, quomodo Deo vita in se? Præter rem & ex industria perfectionum respectu Dei convenientiam implicare solent Scholastici: Nos ut doctrinam eam, pro instituto nostro, planiorem reddamus, explicatis prius ad mentem philosophorum terminis, nostram decisionem subjiciemus. Ante omnia notandum, (α) perfectiones rerum creaturarum duplicis generis esse, alias absolute; secundum quid tales alias. Illas aliò nomine perfectiones simpliciter, item simpliciter simplices & simplicissimas vocant, quæ in conceptu suo proprio atque formali nullam imperfectionem involunt: Has nominant, quæ in suo proprio & formali conceptu imperfectionem aliquam admixtam habent: Ad priores referunt v. gr. entitatem, sapientiam, bonitatem; ad posteriores corporeitatem, ambulationem &c. Nam observamus (β) perfectionis terminum accipi ab iis tam late, ut omne creatæ rei prædicatum, idque positivum, seu essentialiter, seu extraessentialiter significet. Notanter tamen (γ) in descriptione absolutæ perfectionis imperfectionem ab ea qua formalem & proprium conceptum removimus. In communi, in materiali semper attributa ea Deo repugnabunt. Sunt qua communem conceptum plerumque accidentia: In materiali sua inferunt finitatem, & imperfectiori longe modo insunt creaturis. Pro diversitate ergo prædicatorum horum diversas (δ) continentie species excogitarunt. Triplicem alii, alii duplicem tantum constituunt. Nimirum in eo am-

biguitas later, quod convenientiam eminentem. Hi sumant latius
in oppositione ad formalem solum; inclusa virtuali: Illi strictius,
prout tam formali, quam virtuali contradistinguitur. Qui prio-
rem amplectuntur, *formalem* nominant omnem eam, quando ita
alicui inest ratio formalis perfectionis, ut illud ab eadem intrinsecè
denominetur: *Eminentem*, quando formalis ratio non inest, inest
autem aliquid nobilius, quod virtutem producendi perfectionem
eam habet. Reliqua pars, quæ contrahit terminorum formali-
tates, *formalem* vocat, quando perfectio in aliquo continetur for-
maliter, hoc est, secundum proprium conceptum & propriam de-
finitionem: *Eminentem*, quando eminenter, hoc est, longe per-
fectiori modo, quam in altero: *Virtualem*, quando virtualiter, hoc
est, ut ab eo saltim produci possit. Ex hætenus dictis (e) diversi-
mode judicandum erit: Priori respectu formaliter; eminenter
posteriori in Deo vita dabitur. Competit intrinsecè definitio vi-
tæ ut sic Deo, cum perfectio simpliciter simplex, & melior sit, si ad-
sit, quam si absit: Sed competit in respectu ad creaturas longe e-
minentiori perfectiorique modo, quia rerum creaturarum vita im-
perfectionibus multis, ut compositione reali ex potentialitate &
actualitate, vera perfectionis in se productivæ causalitate &c. invol-
vitur.

§. 13. Enimverò, ut conquestus sum, confusa aliquanto
adhuc res est, nec ademptus scrupulus omnis. Distinctius forsi-
tan ita proponetur. Duplicem in genere *continentiam* mihi finge-
re liceat, *propriam*, quæ perfectio subjecto suo, à quo continere di-
citur, proprie, intrinsecè, ac formaliter convenit; & *impropriam*,
quando improprie tantum, & sive per metonymiam, sive per meta-
phoram. Utraque subdividatur vicissim. *Prioris Species* sunt o,
univoca; si perfectio in aliquo subjecto secundum eandem prorsus,
quam in alio habet, rationem continetur: & *analogica per attribu-
tionem intrinsecam*, quando perfectio, intrinsecè rei competens, in
aliquo subjecto continetur plane sub excellentiori ratione, quam
quæ habetur in alio. *Impropria* pariter talis vel *per proportionem*
est, cum perfectio, quæ inesse dicitur alicui, non insit quidem for-
maliter, insit tamen aliquid ipsi simile: vel *per attributionem ex-
trinse-*

insecam, dum perfectio alicui subiecto tribuitur extrinsecè solùm,
& per respectum ad istud, cui proprie alias competit. Quæ omnia
si observentur, omnem facile difficultatem superabimus. Conclu-
do quippe, præsuppositò unà, vitam perfectionem absolutam esse,
quod conveniat Deo vita proprie, & ita formaliter, non tamen per
univocam existentiam, sed per participationem analogam, quam
continentiam eminentem propriè dictam non incommodè specia-
lius dici, quis prohibebit? Ratio dispalescet. Quemadmodum in
creatura perfectio omnis finita, infinita in Creatore est: quemadmo-
dum à creatore dependet creatura: ita repertæ in utroqve ente per-
fectiones, & præcisæ ab utroqve non poterunt non primariò, hoc
est, independenter & eminenter Deo attribui.

¶ 14. Quòd in Deo vita sit, constat. Quid sit, et an es-
sentiam Dei aut constituat, aut tantum consequatur, porro perscru-
tandum. Est in sese simplicissimum Ens perfectissimumqve Deus:
Nulla ibi distinctio, nulla compositio, omnia in Deo Deus ipse.
Noster, qui finitus intellectus est, imperfectusqve, his tantum distin-
ctionibus indiget. Neqvit uno & simplici actu apprehendere tot
infinitas perfectiones: inde succurrerunt ei Sapientiores. Quo-
circa duplices formare in cognoscendo conceptus solent, objecti-
vos puta (voce acceptà laxius,) non formales: Hos dividunt in pri-
mos seu constitutivos, & secundos seu consecutivos aut denomina-
tivos. Illi descriptionem Divinæ essentiaë ingrediuntur, nec, con-
ceptà hâc, concipi non possunt: quales sunt tò esse Spiritum vel
infinitum, vel independentem, quæ lis nihil jam ad nos. Hi es-
sentiam à priori quidem non constituunt, fluunt tamè ex eadem ne-
cessario, & inde essentialia à posteriori sunt: quorsum affectiones
seu attributa reducuntur. *Includi in conceptu DEI quidditativo
logico formalique vitam, Mendoza statuit disputat. 20. met. Sect.
2. n. 21. p. 621.* In contrarium abeunt alii, & fere omnes. In eo,
ex communi confessione, ratio formalis ac conceptus primus divi-
næ essentiaë consistit, quod: (a) proprium sit solius Dei, eumqve ab
omnibus creaturis distingvat: (b) Deo immediate insit, aqve priori
nullo oriatur, quia nostrum concipiendi modum, (c) primo con-
cipiatur, & ratione nostri principium sit ac origo reliquorum abso-
lutorum

lucorum Dei conceptuum. Nihil horum ad vitam quadrat. Ea
attributum commune est omni spiritui, non proprium soli Deo:
concipimus Deum vel à se, vel infinitum (nam utrumque hic proce-
dit) quam vivum, qui conceptus potiori jure ex prioribus sequitur.
Radicem denique reliquorum absolutorum Dei conceptuum
vitam non esse, per se manifestum. Non quia Deus vivus,
ergo independens, infinitus, simplex, unus, immensus &c. Nec
valet consequentia, ut *Mendoza vult*, necessario intelligimus Deum
actuale vitam: Ergo vitam in conceptu quidditativo includit.
Sive enim id intelligit quare rem ipsam, & materialiter spectata essen-
tia Dei, & hoc modo æternitas, veritas, immortalitas, attributa ad
unum omnia erunt de conceptu Dei primo, quod absolum: sive
qua modum nostrum concipiendi, & essentia divinâ acceptâ forma-
liter, sic negamus. Ipse intellectus nos docebit, quod concepta infi-
nitate, immensitate &c. non concipiamus rationem vitæ formali-
ter: Plura addet *Stevogtus l. c. thes. 14. 15. p. 283. seqq.* Nos in re ma-
nifesta non diu hærebimus.

§. 15. Synonymico conceptu remoto, inter paronymicos,
paronymiâ extra- & in specie supra-prædicamentali, collocanda vita
Dei erit. Erat ergo & attributum. Nova litigandi seges vicissim ex-
surgeret, nam scilicet in Deo denur affectiones? nisi suffocassent
primam in hæbeam *Scholastici* magnò numero ad *principium*
Summe Theologicae. D monstrant easdem summa DEI perfectio,
& propositionum, quibus ex de DEO enunciatur, veritas. Quid
superaddant attributa essentia DEI, quomodo ab essentia distin-
guantur, paulo infra, cum de vitæ divinæ distinctione sermo fuerit,
enucleabimus, hac vice saltem circa terminum aliquid monituri.
Non extendende voces attributi, proprii, affectionis &c. à specia-
lissimo & rigoroso accidentis significato ad generalissimum sunt,
quodcunque prædicatum, seu quidditativum, seu qualitativum, seu
proprium, seu improprium notantem. Medio tutissimi ibimus, quò
id attributum est, quod conceptum rei primum insequitur, ei que
per se, & ad ævate convenit, ac tandem de eadem concreta & con-
vertibiliter est prædicabile. Causam essendi non physicam ha-
bent, seu logicam, quam *Cajetanus L. 1. Poster. Analyt. c. 2.* virtua-
lem,

lem, alii rationem essendi à priori vocant, à qua quidem physice, hoc est, vero & reali, influxu non causantur, causarentur tamen, si esset, ut possent physicè causari.

§. 16. Cæterum varii variè attributa divina dividunt. Nobis est vita DEi attributum (1) positivum, quia termino positivo effertur. (2) commune eminens secundi ordinis, quia Deo sub conceptu Spiritus, modò perfectissimo, competit. (3) absolutum, seu ad intra, quoniam nullam ad creaturas relationem involvit. Quibus observatis, genericum vitæ divinæ conceptum sufficienter inquisivimus.

§. 17. In differentiali seu proprio ac contrahente conceptu magis operose desudandum. Vix verò certi quid determinari potest, nisi vitæ in abstracto talis formalitatem cognoverimus. In motione seu operatione omnes constituunt vitam. *Nomen vitæ ex hoc sumptum fuisse videtur*, ait Armandus de bello visu, tract. 2. c. 51. *quòd aliquid à seipso potest moveri: Et ideo ex hoc dicta sunt primo aliqua vivere, quia visa sunt à semetipsis moveri aliquo motu, sicut planta motu augmenti, & animalia motu locali.* Ea vero, quæ visa sunt non moveri, nisi ab alijs mota, dicta sunt mortua, vel carentia vita, sicut lapides & ligna: & inde transumptivè & per quandam similitudinem ea, quorum principium motus in ipsis est, etiam dicuntur viventia, quamvis non seipsa moveant: Sicut aqua scaturiens ex impetu sui motus à terra dicitur vivere, aquæ autem immobiles, ut stagnales & lacuales, dicuntur aquæ mortuæ. Ex hoc verò ulterius nomen vitæ tractum est ad alia, & attributum omnibus operationibus, quas aliquis ex seipso exercet, non ab alio motus etiamsi illæ operationes propriè non sint motus: sicut etiam motus ad quamlibet operationem non solet transferri, sicut transumptive, & largè sentire & intelligere dicuntur motus. Et secundum hoc non solum, quæ moventur à seipsis, vel per augmentum, vel localiter, dicuntur vivere, sed etiam omnia, quæ à seipsis appetunt, sentiunt & intelligunt, hæ enim operationes vitæ dicuntur. Si in compendium redigenda dictio foret, duobus modis vitam sumi, argumentarer, impropriè, quomodo vivere dicuntur, penes quæ aliqua operatio quocunqve modò deprehen-

prehenditur: Propriè, prout in principio aliquo actionum immanentium, vel intrinsecarum consistit. Utut enim nulli inficiemur, viventia actus etiam transeuntes & extrinsecos exercere: nihilominus tamen ab his ad vitam reciproce argumentari non possumus: Et dantur non viva, quæ iisdem pollent, ut cœlum, Sol, stellæ &c. Quapropter ad intrinsecos ejusmodi actus propriè talem vitam hæcenus Philosophi restrinxerunt. Atq; ea insuper vel intellectualis, vel non intellectualis est: ubi prior posteriori tanto perfectior, quanto præstat intelligere \bar{t} non intelligere. Ex quo simul sponte fluet, qui perfectissimo modo vivit, vivere vitam intellectualem, seu intentionalem.

§. 18. Proinde *formalis ratio divina vite* optime exprimetur, quod vi ejus Deus *per actus immanentes inorganicos sese actuet modo perfectissimo.* Duo includuntur: actus & modus vivendi. Illi sunt actus immanentes inorganici. Differt eò ipso à physica vita vita spiritualis: Ibi corporea membra, quibus se exerat, requiruntur: Hæc actus suos producit absque omni organo, sine sensuum adminiculo: Nam ut spiritualis Dei essentia immaterialis prorsus est, ita nec affectiones, nec actiones ejus à materia dependebunt. Nihil namque immaterialitas h. l. aliud est, quam substantialis perfectio tantæ actualitatis, ut distet ab omnibus imperfectionibus materiæ, quia Deus essentialiter est vita in summo gradu intellectivæ. Sed indeterminatè & præcise adhuc immanentium inorganicorum actuum memini, non determinando, qui nam illi sint. Nec potuimus aliter, nisi attributa postmodum ex vita fluentia cum vita confundere voluissemus. Si tamen ad Species progrediendum fuerit, duo præcipue gradus habebuntur, intellectus & voluntas, quorum tractatio, ut prolixissima & distincta plane, alii occasione reservabimus.

§. 19. *Modus vivendi* potissimum eruendus est, quia eò à vita Spirituum finitorum infinita Dei vita distingvitur. Consistit vero in *actuazione perfectissima*: Negativam sui ipsius actuacionem intelligimus, quæ scilicet priorem aut ab alio dependentem omnem excludit. Sunt à Deo omnia: à nullo Deus. Habent

Habent ab eo alia, quæ habent, solus ille à se, quicquid habet, habet ab æterno, & quidem *perfectissime*. Quo ipso modo habendi vitam innuitur. Omnis hic exulat qualitas, omnis actus essentia superadditus: nullum admittitur inter actum primum secundumque discrimen: nihil distinctionis realis deprehenditur: simpliciter essentia & vita Dei idem sunt: per ipsam essentiam suam operosissimus, nunquam otiosus Deus est, per ipsam essentiam intelligit, vult, vivit. *Accuratisimè Excellentissimus Dn. Waltherus disput. 9. Contempl. pneumat. modum. vitæ divinæ sequentibus verbis delineat: Est vita ipsa essentia Dei inadæquate apprehensa cum actuazione negativa sui ipsius, nec admittit distinctionem actus primi à secundo: Sed per simplicissimam simplicitatem, actualitatem purissimam, independentiam ac infinitam perfectionem idem in Deo sunt essentia, vita, intellectus, intellectio, voluntas volitio.* Quo generali modo contenti sumus, oportet, specialiolem ex ingenii nostri imperfectione nec scire nec investigare valentes.

§. 20. Tandem, qui dicta hæcenus perpenderit, illum non amplius fugiet, quomodo vita ab essentia divina distingvatur, & quid eidem superaddat? Nostram hæc vice non faciemus prolixam eam controversiam, quæ circa attributa DEI in genere ventilatur, paucissimis nos expedituri. Non dependere vitam, ceu attributum divinum unice à conceptu nostro, nec meras voces esse, ut *Reformatorum* nonnulli ac *Nominales* volunt, tota disputatio ostendit. Competit Deo vita, me non cogitante: competeret, etiamsi nullus in natura rerum esset intellectus creatus. Quam verè & propriè Deus citra omnem cogitationem sive angelicam sive humanam, essentiam suam habet, tam verè & propriè ante omnem actum finiti intellectus obtinet vitam & Divinas alias proprietates. Eruit solummodo intellectus concipiens eas, quod in objecto est, ac verè apprehendit, non errat, non fingit: Non ergo merum rationis ens vita Dei erit, sed positivum quid, licet non entitativum, tamen modificativum. Non vero, dum hoc adstruimus, in castra eorum

C

descen-

descendere nos quis putet, qui cum *Vorstio* vera in Deo accidentia ponunt, qui distinctionem realem admittunt: Manent nobis distinctissima hæc: esse quid rationis, & distingvi ratione: distingvi realiter, & esse quid reale: Posteriores locutiones adprobamus, rejicimus priores. Quod reale aliquid est, sola ratione alteri, cui inest, superaddi & contradistingvi, non repugnat. In specie distinctionem rationis ratiocinatae (non realem, non ex natura rei talem) inferimus, non morantes, quod *Dero-*
don omnem rationis differentiam rideat. Fundamentum est summa Dei perfectio & simplicitas: Huic omnis differentia, compositioque realis contrariatur: illa tanta est, ut unico eam conceptu intellectus noster non comprehendat, sed habeat satis, si sub distinctis actibus atque conceptibus, divinam essentiam, quasi partientibus, apprehendat qualitercunque. A parte rei alias simplicissima datur identitas, quamque *virtualem nonnulli distinctionem* excogitant, nihil obest divinæ simplicitati. Præter *Scholasticos* consuli merentur *Magnificus Dn. D. Calovius, T. 2. System. Theo!. p. 174. seqq. B. Scharffius, L. 2. Pnev. c. 2. q. 1. Klozius di. put. 5. Pnev. c. 3. p. 263. seqq. Voëtius Theol. nat. reform. c. 8. §. 4. p. 146. Adrian. Heereboord. L. 2. Pnev. c. 1. ad theor. 4.*

§. 21. Integra itaque definitio *vite divine* hæc esto. *Vita divina est attributum DEI absolutum, quo is per actus immanentes inorganicos sese actuatur modo perfectissimo.*

§. 22. Unum superest, quo absoluto, absolutum pensum e it. Quia attributa divina propter eam, quam cum essentia & inter se habent, identitatem, etiam de se invicem prædicari possunt, poterunt non minus singula de vita dici. Sicque ea erit infinita, independens, immensa &c. Potiora sunt simplicitas, immutabilitas & æternitas, de quibus ita pronunciat *Henricus Müllerus* in *Theolog. Scholast. c. 9. thes. III. seqq. Vita divina proprietates sunt eadem cum modis essentia, & distingvuntur tantum appellationibus ad vite respectum accommodatis: ut sunt,*

sunt, *Spiritualitas, impatibilitas & immortalitas.* Quia *vita & essentia Dei non nisi mentis conceptu differunt, idco proprietates eadem, quæ Deo ratione essentia tribuuntur, ad vitam ejus quoque referenda sunt.* Quia enim *essentia Dei est simplicissima & infinita, ideo, vita Dei est talis.* Hoc tantum est discriminis, quod ea proprietates ratione *vite novum nomen sortiantur.* Nam *simplicitas Dei, ratione essentia sic dicta, dicitur respectu vite spiritualitas: immutabilitas ratione vite dicitur impatibilitas: & eternitas eodem respectu dicitur immortalitas.* Quia primam juxta eundem *omnis imperfectio, quæ finitis Spiritibus inest, à Deo est removenda, & solícite atque accurate concipienda est vita Dei non ut actus accedens ad essentiam ejus, unitatis instar, quæ alteri unitati addita facit binarium: Sed ut actus fluens ab essentia promovente se ad sui perfectionem, quemadmodum fluvius suo fluxu se promovet in longitudinem.* Qua secundam, *Deus per vitam suam omnis passionis, h. e. lesionis realis, & transmutativa, quæ realem efficiat mutationem in objecto, expers est.* Qua tertiam, *nullo modo, i. e. simpliciter non desinere & mori potest.* Plura qui desiderat, expectabit ea à laudato Autore l. c. Nos, tanquam peculiari tractatione digna ad aliud tempus omnia majori studio & sigillatim commentabimur, nunc finientes dicentesque

ALTISSIMO GRATIAS.



Fragment of text from the adjacent page, including letters like 'm', 'n', 'd', 'e', 'f', 'g', 'h', 'i', 'k', 'l', 'o', 'p', 'q', 'r', 's', 't', 'u', 'v', 'w', 'x', 'y', 'z'.

05 A 1683

ULB Halle 3
003 779 270


Wort

du.







V.

TICIS

DEI,

IDE

GERET,

ilos. Adjuncto,

ic

DENS

N, Onoldô-Francus.

Majori,

A. C. 1677.

ERGÆ,

I SCHRÖDTERI.